

Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan.
Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In
Dominicas, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In
singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

4. De materia meditationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60561](#)

bem suam, & super Sanctos suos. & in eos, qui convertuntur ad cor.

Oratio est connexa cum omnibus virtutibus, ^{Col. 9. 6.}
ut Cassianus docet: quod oratio perfecta, sine
istis esse non valeat: neque istae absque oratio-
ne acquiri vel conservari possint, ex quo neces-
sitas orationis commendatur. Oratio est finis
omnium virtutum: quia per orationem inhære-
tur Deo, unione intima: quo refertur quidquid ^{Clim.}
boni in vita agitur. Ibi Deus reddit centu-^{gradus.}
plum pro iis, quæ ipsius causâ contempsi-
mus, vel toleravimus, & arrham præbet vitæ
æternæ.

CAPUT IV.

De Materia Meditationis.

Materia est universè, quidquid divinitùs **Materia.**
revelatum est. Potest autem distingui,
juxta conditionem meditantum, tripliciter.
Nam aliqui peccatores sunt, sed cupiunt resipi-
scere: vel, si peccatum reliquerunt, adhuc
subjacent vitæ prioris passionibus, quas morti-
ficare desiderant. Unde Purgativam adhuc
viam ingrediuntur. Alij, his superatis difficul-
tibus, profectui virtutum, & ampliori lumi-
ni cœlestium acquirendo intendunt, quæ est Via
Illuminativa. Alij denique progressi sunt ad fa-
miliarem & intimam cum Deo unionem, quæ
dicitur Via Unitiva.

Via Purgativa convenit meditatio circa ipsa
peccata: ut cognoscatur eorum multitudo &

A 4 gravitas:

8 *Introduct. ad Medit.*

gravitas: tum dolor concipiatur admissorum,
atque horror peccandi. Ad quem finem juvant,
quæ timorem incutiunt, qui est initium sapien-
tiæ: qualia sunt novissima nostra, mors, judi-
cium, & infernus: de quibus, ut de aliis, ad ritè
confitendum, & ad justificationis gratiam per-
cipiendam, agitur in prima parte meditationum.
Id ubi incipiens peregit, quo etiam à reliquis
peccatorum purgetur, incumbet in meditatio-
nem mysteriorum vitæ Christi Domini, & ma-
xime ejus infantiæ (de qua est secunda pars Me-
ditationum) studens evadere quasi modò geni-
tus infans.

2. Viæ Illuminativæ, quæ est jam purgatorum
& in virtute proficientium, convenit meditatio,
gestorum Christi per tempus suæ prædicationis,
nec non Passionis obitæ: Nam proficimus a-
gendo & patiendo: utriusque documenta præ-
buit Christus eximia in vita & morte sua, cuius

In ps. 49. conversatio fuit, ut August. ait: *Mira facere &*
mala pati. De his tractatur in III. & IV. parte
Meditationum.

3. Viæ Unitivæ convenit meditatio, tum Christi
humanitatis jam resuscitatæ & glorificatæ, tum
Divinitatis in Trinitate personarum, divina-
rūmque perfectionum, quæ tractantur in V. &

Ps. 107. VI. parte. *Montes excelsi cervis, petra refugium*
herinaceis. Alta Divinitatis juga petunt agiles
Cassian. & expediti ab omni terreno affectu: imperfeciis
Coll. 10. autem petra est refugium. *Petra autem erat*
c. 10. *Christus, ejusque humanitas.*

Istæ sex partes Meditationum sunt instar sex
alarum

alarum Seraphim, quibus ad Deum attollimur, indéque purgati, illuminati, atque consummati, regredimur ad perficiendos alios: quia non debemus profectu proprio esse contenti, nisi & alios juvemus. Deinde ita ex his Meditationibus aliæ aliis convenienter: ut quivis exercere se possit aliquando in omnibus, tametsi non eodem modo. Nam Perfectus, ex quibuscumque colliget fructum unionis: Incipiens autem seu Proficiens, pro sua necessitate, juvari poterit ex qualibet etiam Meditatione. Sed & Imperfectus potest aliquando assurgere ad actus unionis: ut & Perfectus timore concuti, ob admissa peccata. Et est varietas ingeniorum: ut quidam à suppliciis minus percellantur, ad detestanda peccata: magis autem ex consideratione divini amoris. Ordinariè autem, viâ incedendum est cujusque gradus propriâ, & Meditationes adhibendæ ac accommodatæ.

CAPUT V.

De ingressu ad orandum.

ANTE orationem præpara animam tuam, & Eccl. 19.
Anoli esse quasi homo, qui tentat Deum. Huc Materia pertinet præparatio certæ materiæ, & digestio præparata: in puncta: alioqui anima evagabitur per varia sine fructu. Licet autem sequi impulsum Spiritus sancti, si quando trahit aliò à materia proposita, dum non leviter fiat.

Primùm igitur cogitabimus Deum præfitem, qui cùm sit ubique, non acceditur ad illum sentia.

A 5

pas-